Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26101
Copyright: Admont, Benediktinerstift

granorum exuisti? Quid uentilasti? Cur tot pene modo in quaestionibus adhuc latent omnia? Affirma aliquid eorum quae multa posse intelligi disputasti. Cui respondeo ad eum ipsum me cibum suauiter peruenisse. quo didici non herere hominem in respondendo secundum fidem quod respondendum est hominibus qui calumpniari libris nostre salutis affectant. ut quicquid ipsi de natura rerum ueracibus documentis demonstrare potuerint. ostendamus nostris litteris non esse contrarium. quicquid autem de suis quibuslibet uoluminibus his nostris litteris. id est catholice fidei contrarium protulerint. aut aliqua etiam facultate ostendamus. aut nulla dubitatione credamus esse falsissimum. atque ita teneamus mediatorem nostrum in quo sunt omnes thesauri sapientie et scientie absconditi. ut neque false phylosophye loquacitate seducamur. neque false religionis superstitione terreamur. et cum diuinos libros legimus in tanta multitudine uerorum intellectuum. qui de paucis uerbis eruuntur et sanitate catholice fidei muniuntur. id potissimum diligamus quod certum apparuerit eum sensisse quem legimus. si autem hoc latet id certe quod circumstantia scripture non impedit. et cum sana fide concordat. si autem et scripture circumstantia pertractari ac discuti non potest. saltem id solum quod fides sana prescribit. Aliud est enim quid potissimum scriptor senserit non dinoscere. aliud autem a regula pietatis errare. Si utrumque uitetur perfecte se habet fructus legentis. si uero utrumque uitari non potest. et si uoluntas scriptoris incerta sit. sane fidei congruam non inutile est eruisse sententiam. Explicit liber primus. Incipit SECUNDUS.

ET DIXIT DEUS. FIAT FIRMAMENTUM IN MEDIO aquarum et sit inter aquam et aquam. et sic est factum. Et fecit deus firmamentum et diuisit deus inter aquam que erat infra firmamentum et aquam que erat super firmamentum. Et uocauit deus firmamentum celum. Et uidit deus quia bonum est. Et facta est uespera et factum est mane. dies secundus. De uerbo dei quod dixit fiat firmamentum et cetera et de placito eius quo uidit quia bonum est. et de uespera et mane non opus est hoc iterum similiter disserere. atque ita deinceps quotienscumque ista repetuntur secundum su